



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Bynaei de Calceis Hebraeorum Libri Duo

Bynaeus, Anthony

Dordraci, 1682

Apud Hebræos qualis fuerit incertum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12835

ἤγασται sed *δύο* *ἰσὸς* *ἠγασται* *vetat*
 Christus. *Lichtfoti* *rationibus*
fit *satis*.

I.

Sicuti hac nostra tempestate
 calceorum varia & multiplex
 est forma, pro civitatum atque re-
 gionum discrimine, pro diverso
 hominum sexu & dignitate, pro
 vario usu, ita olim etiam fuit.
 Ne de barbaris nationibus, aut
 Græcis politioribus hic dicam,
 vel apud Romanos quam diversa
 fuit calceorum forma? Præter duo

*
Turn. Adv.

l. 28. c. 21.

& lib 29.

c. 8. Victor.

Var. Lect.

l. 14. c. 15.

Ræv. Var.

l. 1. c. 8.

Lipf. Elect.

l. 1. c. 13.

Bald. de

Calc. Ant.

c. 7. & seq.

Nigron. in

Dissert. de

Calig. Rub

de Re Vest.

lib. 2. c. 1.

& seq. Fer.

Anal. c. 31.

& seq.

præcipua genera *calceum* & *soleam*,
 quorum ille totum pedem, hæc
 plantam tantum tegebat, in usu
 fuerunt *caligæ*, *gallicæ*, *crepidæ*,
cothurni, *socci*, *perones*, de quibus
 accurate egerunt homines eruditi,
 qui in antiquitatibus ipsorum illu-
 strandis elaborarunt, Adrianus
 * Turnebus, Petrus Victorius, Ja-
 cobus Revardus, Justus Lipsius,
 Benedictus Balduinus, Julius Ni-
 gronus, Albertus Rubenius,
 Octavius Ferrarius, & complures
 alii.

II. Apud Hebræos veteres qua-
 lis calceorum forma fuerit non
 adeo

adeo certū est. Nihil enim occurrit in sacris monumentis de forma calceorum, atque unicam vocem tantum habent Hebræi, qua calceū vocant. Hæc vero quale designet calceamenti genus non adeo constat, cum variè reddant veteres interpretes. Hebræo חַוְּי maxime apud Jonathanem in Legem, & in Targum Hierosolymitano respondet חַוְּי vel חַוְּי סַנְדָּאָלִיּוֹן *sandalium*. LXX. Interpretes modo ὑπόδημα modo סַנְדָּאָלִיּוֹן vertunt, quomodo Vulgatus modo *calceamentum*, modo *caligas* habet. Nos vero putamus non inanibus conjecturis adstrui posse *calceos* Hebræorum *soleas* fuisse, quibus plantarum calces tantum infimæ teguntur, cum cætera prope nuda & teretibus habentis juncta sint, uti *soleas* Agellius describit.

Agel. lib.
13. cap. 20.

III. Ut simplicissimum & ab omni ambitu quam maxime remotum, ita antiquissimum calceamenti genus fuisse *soleæ* videntur. Prisci mortales, ut contra sentium & lapillorum & aliarum asperitatum injurias pedes munirent, ex corio bubulo, vel aliorum animalium pellibus

F 7

parti-